

Universitätsbibliothek Wuppertal

**PLVTARCHI||CHAERONENSIS,|| SVMMI PHILOSOPHI|| &
Historici,|| VITAE PARALLELAE,|| seu Comparatæ,||**

Cui subiecti sunt Indices tres ... ad commodum lectoris summa diligentia
confecti

Plutarchus

Francoforti ad Mœnum, 1592

Demosthenes

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-360](#)

3

PLUTARCHI DEMO-
STHENES, GUILIELMO XY-
LANDRO, AVGVSTANO,
interprete.

V 1 Alcibiadem Olympiæ equorum certa-
mine victorem scripto laudauit, Soffi, siue
is (ut plerique aiunt) Euripides, siue alius ^{co ad quas}
quispiam fuit, ad felicitatem primo loco
requiri patriam nobilem asserit. Ego verò
ei qui veram sit felicitatem consecuturus,
cuius in moribus & animi affectionibus maior pars consi-
stit, non magis existimo ignobilem & obscuram patriam
obesse, quam matre deformat vel pusilla esse natum. Ridicu-
lus enim fuerit, qui censeat Iulidem, quæ exigua pars est
Cei non magnæ insulæ, vel Æginam, quam Atticorum
quidam amoueri iussit veluti Piræi luminibus officien-
tem, histriones posse & poetas bonos producere: virum au-
tem iustum, & ex lese aptum, prudentem, ac magnanimum
proferre non posse. Ètenim consentaneum est alias artes
quæ ad rem faciendam, comparandamve gloriam perti-
nent, in humilibus & obscuris vrbibus elanguescere: vir-
tutem autem, ut validam vegetamque plantam, quo quis in
loco radices agere, ybicunque bonam indolem, & animum
laboris tolerantem apprehenderit. Itaque ne nos quidem,
si non ea qua debemus prudentia & vita rectitudine su-
mus, patriæ id nostræ humilitati, sed nobis ipsis meritò
imputauerimus. Ei verò, qui historiam scribendam susce-
perit, non ex iis quæ domestica aut in promptu posita, sed
peregrinis maiori sui parte & aliorum in libris hinc in-
de dispersis constantem narrationibus, re vera primò o-
mnium opus erat vrbe nobili, rerum honestarum studio-
sa, hominumque multitudine affluente: vt & in omnis ge-
neris librorum copia versans, & ea quæ à scriptoribus o-
missa, memoriarum tamen beneficio conferuata fidem meren-
tur, percontando audiendoque percipiens, ita suum opus
absolueret, ut ne multa, aut necessaria in eo desiderari *Plutar-*
non possent. Nos autem & paruam habitamus vrbem: in chue de se,

eaque, ne minor etiam fiat, libenter hæremus: Romæ verò & in aliis Italiæ agentibus partibus ocium exercendi nos in Romano sermone ciuiles occupationes, & ij qui philosophandi causa nos conueniebant non permiserunt. ita se-ro tandem, & prouecta iam ætate, Romanas literas attigimus. Quo in studio mira nobis, vera tamen res accedit: vt nimirum non tam ex vocabulis rerum ipsarum noticiam consequeremur, quām ex rerum peritia, qua vtcunq; eramus prædicti, verba etiam ipsa addisceremus intelligere. Pulcritudinem autem Romani eloquij, & celeritatem sen-tire, & translationes nominum, concinnitatemque, & alia quibus oratio exornatur, existimamus quidem rem esse elegantem & non iniucundam: exercitatio autem quæ ad eam requiritur, studiumque maioris est operæ, & eorum, quibus & ocium amplius est, & ætas integra. Itaque etiam in hoc quinto nostro libro eorum, quo Romani cū Græco aliquo vitam coniuncte comparamus, de Cicerone & Demosthene scripturi, ex actionibus eorum, & reipublicæ administratione naturas moreisque ipforum inter se contenedimus: orationes autem eorum conferte, & pronunciare uter altero suauior aut maiori in dicendo vi prædictus fuerit, supersedebimus. nam hoc plane sit futurum id, quod Ion dixit,

I Delphinis in tellure vis.----

*Ciceronis & Demo-
sthenis si-
militudo.* Quod non animaduertens Cæcilius, homo nimis omni in re curiosus, temere ausus est Ciceronis cum Demosthene comparisonem pedere. Enim uero si cuius in promptu es-set nosse seipsum, non diuinitus id præceptum creditum fuisset. Demosthenem quidem & Ciceronem idem videot ab initio effinxisse Deus, & naturæ ipforum multas in feuisse similitudines: vt fuerunt, honoris & libertatis in repub. studium, timiditas in periculis bellisve adeundis: multa etiam fortuita admiscuisse. non enim duos alias existimo inueniri posse oratores, qui de obscuris & abiectis magni clariq; facti sint, reges & tyrrannos offenderint, filias amiserint, in exilium acti rursus in patriam splendide redierint, tandemq; rursus ausfugerint, & in hostium manus inciderint, & vnâ cum publica libertate perierint. Itaq; si naturæ & fortunæ, veluti opificibus, contentio incideret, difficile iudicatu sit futurum, moribusne altera, an verò altera actio-

actionibus similiores eos inter se effinxerit. Dicendum autem prius de antiquiore est. Eius pater Demosthenes unus de optimatibus fuit Athenis, si Theopompo credimus. Gladiorum autem faber cognominabatur, quod officinam habebat magnam, multosque seruos qui gladios cuderent.

Quæ de matre nostri Demosthenis Aeschines dixit, filiam eam fuisse Gylonis, eius qui proditionis accusatus Athenis profugit, & barbaræ cuiusdam mulieris: verumne id, an confictum calumniandi causa obiecerit, dicere nō habeo.

10 Septem annorum pupillus à patre relictus Demosthenes, ampla refamiliari, (nam vniuersarum eius facultatum pre-²
*Demosthe
nis genus*
& educa-
110.

cium æstimatum est haud multo minus quindecim talen-
tis) à tutoribus iniuriis affectus est, bona ipsius partim sub-
ripientibus partim negligentibus, adeo ut præceptores

15 quoque eius mercede defraudarent. *Quæ* & ipsa cauña fuit,
cur elegantioris & puero ingenuo dignæ disciplinæ ar-
tiumque expers fuerit: quò accessit corporis imbecillitas
& mollices, ob quam mater eum à laboribus abstinebat,
neque ad eos pædagogivrbegant. Et quidem à pueris mol-

20 liciem eam corporis eius incessentibus Batali ei cognomen, quod deinde in contumeliam tractum est, factum dicitur. Fuit autem, ut perhibent, quidam Batalus tibicen luxuria eneruatus: eumque traducens Antiphanes comediam in eam rem scripsit. Alij Batali ut lascivi poetæ, &

25 qui carmina temulentis apta scriplerit, meminerunt. Vi-
detur etiam pars quædam corporis, quæ honeste nomina-
ri nequit, Batalus tum Attice appellata. Argasverò (nam
& hoc cognomen Demosthenis fertur) aut ob morum feri-
tatem & acerbitudinem dictus est: quidam enim poetarum

30 Argam serpentem nominat. vel quod oratio eius audien-
tibus esset molesta: Argas enim quidam poeta carmina
scripsit maligna & mordacia. Verum hæc (ut ait Plato) ha-
ctenus. Ut animum ad eloquentiæ studium appelleret, *Vt se ora-
torie de-
derit.*

35 Oropiam acturus ferebatur, & magna expectatio eius erat iudicij, cum ob facundiam rhetoris, cuius tunc maxi-
me florebat gloria, tum ob causæ ipsius nobilitatem. De-
mosthenes itaque cum audiaret præceptores & pædagogos
inter se de audienda illa disceptatione agere, a pædagogo
suo precibus instandoque impetravit, ut ad audiendum

ipse quoque adduceretur: isque familiares sibi habens apparitores, qui curiam aperiunt, locum obtinuit ab iis, in quo sedens puer occulte audiret orationes. Cum vero causam Callistratus praecclare egisset, magnamque sui admirationem dicendo excitasset: videns eum Demosthenes deduci à multitudine & felicem praedicari, gloriae hominis æmulari cœpit: magis tamen facundiæ vim admiratus est, omnia confidere & subigere valentis. Itaque cæteris relictis disciplinis, studiisque puerilibus, ipse seipsum declamitando exercitabat atque ita afficiebat, ut futurus aliquando orator. Praeceptore dicendi vñs est Isæo, quanquam Isocratem docente: siue quod propter orbitatem mercedem huic (decem enim à singulis discipulis exigebat minas) persoluere non posset, siue quod illius orationem, ut vehementem callidamq; vñs causa præferret. Hermippus scribit, incidiſſe in autoris incerti commentarios, in quibus scriptum sit Demosthenem Platonis fuisse auditorem, plurimumque inde ad eloquentiam adiumenti accepisse. Atque idem Crescibium refert affirmare, Demosthenem artis præcepta, quibus Isocrates & Alcidamas vtebantur, occultè à Callia Syracusano & aliis quibusdam accepisse, atque perdidicisse. Adultus statim in ius tutores suos vocavit, orationesque aduersum eos composuit: quanquam illi varie subterfugere, & latas sententias rescindere conarentur, assiduitate tamen studij (ut Thucydidis verbis vtar) exercitatus, non sine magno labore & periculo eos deuicit. Ac quamuis ne minimam quidem paternorum bonorum partem ab eis extorquere posset, audaciam tamen ad dicendum consuetudinemque consecutus, percepto iam gusto gloriæ atque potentiae forensium certaininum, in medium prodire, & res tractare publicas aggressus est. Et quemadmodum Laomedontem Orchomenium memorant, ut virtus cuidam splenis mederetur, consilio medicorum longis vñsum cursibus, eo inde habitu conseruato certamina publica adiisse, & cursorum inter præstantissimos numeratum: sic Demosthenes cum primùm causa recuperandi bona paterna orare cœpisset, atq; ea re peritiam vimque sibi paraset, inde in publicis causis, veluti in coronæ præmio proposito commissis certaminibus versans, omnes de tribunali perorantes ciues superauit. Sane primùm ad populum verba

verba faciens, tumultibus excipiebatur, & deridiculo eius *Vitia eius*
 erat oratio, confusis circuitibus, & contortis fastidiose ni- *in dicendo.*
 mis atq; aspere argumentis constare credita. Accedebant
 eò vocis quædam, vt aiunt, imbecillitas, lingue obscuritas,
 § & spiritus defectio, quæ diuulis inter se cōexionibus ver-
 borum, sensum eorū quæ dicerentur perturbabant. Tandem
 eum relicto populo ob ægritudinem animi in Piræo ober-
 tantem, Eunomus Thriatius oppidū senex conspicatus ob-
 iurgauit, quod orationem Pericleæ similiam nactus, præ
 10 timiditate scipsum & mollicie proderet, neq; tumultus po-
 puli præsentia animo sustinens, neq; corpus ad contentionē
 parans, sed id luxu emarcescere sinēs. Rursus deinde explo-
 sum ferunt, & cum obuoluto capite graniter casum suum
 ferēs domum rediret, Satyrum histrionem familiarē ipsius
 15 subsecutum, & congessum. Ibi cùm Demosthenes deplo-
 raret, se, qui omnium oratorum plurimum elaboraret, ac
 propè omnem corporis vigorem in eam rem impendisset,
 non esse tamen acceptum populo: seq; neglecto, audiri &
 occupare suggestum ebriosos homines, nautas, bonarumq;
 20 rudes disciplinarum: respondisse Satyrum, Vera quidem tu
 dicis: verū ego statim causæ medebor, si mihi Euripidis a-
 liquot, aut Sophoclis carmina recitate velis. Recitante De-
 mosthene, Satyrum quæ ille retulisset repentem, eo gestu
 vultuq; eadem extulisse, vt omnino diuersa Demostheni vi-
 25 derentur. Itaq; eum doctum quantum ornatus gratiæque
 orationi actio conciliaret, exercitationem pro nullius mo-
 menti re habuisse, vbi pronunciationis negligetur ratio.
 Proinde locum in quo orationes suas meditatetur subter-
 raneum ædificasse, quæ cauerna nostra etiam ætate super-
 30 stes fuit: eò ad minimum singulis diebus descendisse, actio-
 nis formandæ vocilque componendæ gratia: sâpe etiam
 duos aut tres menses continuos egisse ibi, rasa altera ca-
 pitis parte, vt ne si vellet quidem, egredi inde præ verecun-
 dia posset. Quin & congressus cum aliis & colloquia, &
 35 occupationes, pro argumento & occasione elaborandi ar-
 ripuit. Cùm enim ab iis ad ociam esset rursum solitus, sta-
 tim in conclave illud suum descendens, actiones, earumq;
 allatas rationes secum repetebat, tum quas audiuerat ora-
 tiones: iisque in sententias singulas & continuationes di-
 gestis, eorum quæ ipse ad alios, aut ad se alij essent locuti,

Actio.

varias emendationes comminiscebatur, alioq; dicendi modo eadem efferre meditabatur. Inde factum est, ut non naturali, sed labore parta facundia viq; dicendi prædictus crederetur. Cui rei argumento esse videbatur, quod non facile 5
Qualis ora tor fuerit, quisquam Demosthenem ex tempore verba faciente au-
 diebat: atq; adeo saep in concione adsidens, nominatim q;
 à populo vocatus, ad dicendum non nisi præmeditatus pa-
 ratusque surgebat. Ob id cum alij oratores cum subsanna-
 bant, tum Pytheas argumenta eius redolere lucernam ca-
 uillandi causa dicebat. Atq; huic quidem acerbe respondit, 10
 Non earundem rerum sibi atq; illi lucernam conscient esse
 dicens. Apud reliquos nō plane inficiabatur, seq; de scripto,
 neq; omnino tamen non scripta dicere fatebatur. Et qui-
 dem eum, qui orationem præmeditaretur, popularem esse
 pronunciabat: meditando enim homines se ad captandam 15
 populi gratiam comparare: negligere vero quomodo mul-
 titudo esset orationem exceptura, id hominis esse ad paucō
 rum omnia potestatem reuocantis, ac cogendis magis, quā
 persuadendis hominibus intenti. Id quoq; signum addu-
 cunt, Demosthenem ex tempore dicere non ausum, quod 20
 Demades saep ei tumultibus populi perculso subito assur-
 gens ad stipulatus sit: ipse autem Demadi nunquam. Vnde
 ergo, inquires, Åschines incredibili eum ad dicendum au-
 dacia præditum fuisse dicit? quomodo Pythoni Byzantio
 efferenti se, & in Athenienses acriter inuidenti, solus ipse 25
 ad dicendum progressus restitit? aut quā Lamacho Mirrhe-
 4 neo Olympia laudationem Alexandri & Philippi regum
 recitante, in qua multis maledictis Thebanos & Olyn-
 thios proscindebat, contrā assurgens, & quā Thebani ac
 Chalcidenses bona Græciæ fecissent fide digna narratione 30
 demonstrans, tum quantorum malorum causa iij qui Ma-
 cedones adularentur fuissent, ita commouit auditores, vt
 rhetor ille tumultu perterritus, se ex conuentu subduce-
 ret? Enimuerò videtur Demosthenes cæteras quidem Pe-
 riclis artes nihil ad se attinere existimans, gestum modō e- 35
 ius & compositionem corporis, idque ne celeriter neque
 quavis de re ex tempore diceret, imitatus esse: quod iis re-
 bus eum magnum euasisse iudicaret. itaque neque plane di-
 misse perorandi re non prius meditata gloriam, neque
 tamen libenter saepius fortunæ facultatem dicendi suam
 credi-

credidisse. Plus enim audaciæ atque confidentiæ dictæ eius quam scriptæ orationes habuerunt, siquidem Eratostheni, Demetrio Phalereo, & Comicis credimus. Eratosthenes enim sæpe eum ait inter dicēdum quasi extra se raptum bac-
s chari cœpisse: Demetrius eum veluti furore diuinitus per-
citum, iuramentum illud numeris comprehensum iurasle
ad populum,

Adinro terram, fontes, latices, flumina.

Comicorum quidam eum Rhopopererethram appellat, 5
10 quasi dicas inanis & utilis loquacitatis hominem. Alius
eum ob vsum antithetorum cauillans, Ita, ait, recepit, ut
acepit. Delectabatur enim Demosthenes hoc verbo extrin-
secus adsumpto. Nisi forte in orationem de Haloneſo hoc
lūſit etiam Antiphanes, quam Atheniensibus suasit ille nō
15 accipere, sed recipere à Philippo. Cæterum in confesso a-
pud omnes erat, Demadæ natura sua vtentem, inuidum
esse, & ex tempore dicentem, meditatas & præparatas De-
mosthenis orationes superare. Aristo Chius præterea The-
ophrasti quandam de oratoribus sententiam refert: inter-
rogatum scilicet eum qualis orator ei videretur Demosthe-
nes, respondisse. Dignus vrbe: qualis Demades, Præstantior
vrbe. Idem philosophus Polyeuctum narrat Sphettium, v-
num ex iis qui tum Athenis in repub. versabantur, pronun-
ciasse, Maximum oratorem esse Demosthenem, sed Phoci-
onis summam esse in dicendo vim: nam hunc paucissimis
20 verbis plurimum sententiæ exprimere. Sane ipsum quoque
Demosthenem traditum est, quoties Phocionem sibi con-
tradicendi causa suggestum conscendere videret, familiari
bus dicer solitum, Assurgit ensis, qui mea verba dissecet. 6
25 neque constat, ad orationemne viri, an ad mores & existi-
mationem Phocionis respexerit, verbum vnum & nutum
viri autoritate prædicti plus valere multis & longis verbo-
rum continuationibus intelligens. Corporis autem vitiis
vt mederetur, huiusmodi vlus est exercitatione: vt quidem
30 Demetrius Phalereus ex ipso se iam sene audiuisse perhibet. *Vita sua*
& correxe
Assumptis in os calculis, verba aliquot recitans, hæſtantia-
am & balbiciem linguae correxit. Vocem inter currendum
exercuit, interque adſcendendum per acclivia locutus est,
ſimulque increbrefcente ſpiritu versus aliquot aut ſenten-
tias protulit. Domi habuit magnum ſpeculum, exaduerso

eius stans declamare solitus. Ferunt eum homini cuidam ad se venienti, patrociniumque petenti, quod vapulasse à quodam se diceret, respondisse, At tu quidem nihil eorum quæ narras passus es. intendente eo deinde vocem, & clamente, Ego vero, ô Demosthenes, nihil passus sum? dixisse, Iam profecto hominis iniuria affecti vocem audio. Adeo multum conducere ad fidem faciendam vocis contentio-
nem gestusque putabat. Multitudini porro actio ipsius mi-
rum in modum placuit: politiores humilem eam, & indi-
gnam, mollemque iudicabant. inter quos Demetrius et
iam Phalereus est. Aesonen refert Hermippus de suæ æta-
tis & antiquis oratoribus sententiam interrogatum, re-
spondisse: Admiraturum sane fuisse, qui hos audiuerit, ita
decore & magnifice ad populum loquentes. scriptas autem
Demosthenis orationes longe plus apparatus habere at.
que virium. Iam orationes eius scriptas multum habere au-
steritatis atq; mordacitatis, ita in promptu est, vt mea ad-
monitione res non egeat. Facetiis tamen idem ex tempore
in congressib. vñs est, Vt cum dicenti Demadi, Demosthe-
nes me, sus Mineruam. hæc, inquit, Minerua nuper in Col-
lyto est in adulterio deprehensa. Ad furem qui Aerei cogno-
mento insignis erat, ausum aduersus vigilias ipsius & lucu-
brationes aliquid dicere, Scio, ait, me lucerna vtendo tibi
molestem esse. Sed vos, ô ciues, desinite mirati furtæ, quæ fi-
unt, cum fures æreos habeamus, parietes luteos. Verum de
his, etiamsi non desunt plura, dicendi finem faciamus. Cæ-
teros ipsius mores & ingenium ex actionibus & reipub. ad-
ministratione spectare conuenit. Accessit autem ad temp.
Phocico iam bello conflato: quod & ipse affirmat, & colli-
gi ex Philippicis potest: quarum alia confecto iam eo bello
scriptæ sunt, primæ autem res atati illi proximas attingut.
Manifestum est, eum se etiam ad Midiae accusationem pa-
rasse annos natum trigintaduos, nondum tantum parta in
ciuitate potentia & autoritate. Qua maxime causa motum
arbitror accepta pecunia item composuisse. Et:
35

*Non equidem placide vir cordis, sine benigni,
sed vehemens & in persequendis iniuriis acer: sed cum vide-
ret non vile, neq; suarum virium esse negocium, Midiam
hominem opibus, facundia, & amicis bene munitum de-
cicere, pro eo deprecantibus concessit: nam ipse per se tri-*
ginta,

Facetia.

*Quando
rempub. at
tigeris.*

ginta, quas eo nomine accepit, minæ non videntur mihi a-
cerbitatem Demosthenis lenitâ fuisse, si certam victoriæ
spem concepisset. Occasionem porro tractandi res publicas
præclaram adeptus, Græcorum aduersus Philippum defen-
sionem, & ea in re præclare se exercens, statim gloriam sibi
parauit, & ob eloquentiam libertatemq; in dicendo ita cla-
ruit, vt & apud Græcos omnes in admiratione esset, & a Per-
sarum rege coleretur, neque ipso quenquam oratorum ma-
gis curaret Philippus: & ipsi aduersarij fatentur, rem sibi
cum gloriose esse homine. hoc enim & Aeschines, & Hypo-
rides de eo in accusationibus suis dixerunt. Quare non vi-
deo quid in mentem venerit Theopompo, vt eum leuitatis *An inconsueta*
accusaret, diceretque neque rebus neque hominibus diu-
iisdem vti potuisse. appareat enim, eum quam initio factio-
rit.
15 nem & quas partes in republica sibi sumpsisset, eas ad finem
vsque tenuisse: & non modo non mutasse in vita sua institu-
tum, sed & in eo tenendo vitam dimisisse. Demades quidem
excusans suam inconstantiam, sibi ipsi saepè contraria se di-
xisse aiebat, ciuitati nunquam. & Melanopus Callistrato
20 repugnans, cum ab eo saepè pecunia corruptus sententiam
mutaret, solebat ad populum dicere: Callistratus quidem
inimicus est: sed vincat utilitas publica, & Nicodemus Mes-
senius cum prius Casandri partes prætulisset, deinde rur-
sum Demetrij causam ageret, Non se contraria dicere fere-
bat: semper enim ex vsu esse, potentiori obedire. Tale De-
mostheni nihil obici potest, quasi vel voce vel agendo ab
instituto diuertisset, aliove deflexisset: sed veluti descriptam
aliquam immutabilem reipublicæ formulam propositam
sibi habens, eundem omnibus in actionibus suis tenorem
30 ad extreum usque conseruavit. Panætius philosophus o-
rationum quoque eius plerasque ita ait scriptas esse, vt so-
lam per se expertendam honestatem censuisse appearat: ve-
luti de Corona, in Aristocratem de immunitatibus, Phi-
lliippicas, in quibus omnibus non ad id quod facilimum,
35 aut iucundissimum esset, aut commodissimum, ciues du-
cit: sed saepenumero iuber honesto & decoro securitatem
salutemque postponere. Atque adeo si ad argumentorum
quaæ tractauit præstantiam, & orationum nobilitatem, for-
titudinem etiam bellicam, in que agendo integritatem ad-
iunxisset, non cum Myrocle, Polyeucto, & Hyperide in
oratorum

oratorum classe censeri, sed supra cum Cimone, Thucydide & Pericle numerari merebatur. Quando & post ipsum Phocion non laudabile admodum consiliū sequens, ut qui ad Macedonas videretur inclinare, propter fortitudinem tamen & iusticiā nequaquam Ephialtæ, Aristidi, aut Cimo, ni concedere de virtutis laude visus est. Demosthenes autē neque in armis satis laudatus, (vt Demetrij verbis vtar) neque aduersus corruptelas munerum satis vnde munitus,

*Qua in eo
victoria &
præclara.*

qui cum à Philippo & Macedonibus pecunia expugnari non posset, auro Sufis & Ecbatanis allato capi, & obrui se pateretur. præclarus quidem laudator virtutum quibus maiores claruissent erat, sed imitando eas nihil valebat. Alioquin æquales oratores (Phocionem excipio) vitæ etiam laude vicit. Ex orationib. quidem ipsius appetet, liberrime omnium ad populum verba fecisse, cupiditatibus multitu-

dinis reluctatum fuisse, & peccata eius increpasse. Narrat „ Theopompus eum, cum ad accusandum quedam delectus „ ab Atheniensibus renueret, ideoque tumultuaretur popu- „ lus, surrexisse, & ita locutum: Vos quidem à Athenienses, me consultorem vel inuiti habebitis: calumniatorem autē nunquam, vtcunque cupiatis. Vehementer, optimatium partium studiosum fuisse in republica, eo cum primis facto ostendit, quod Antiphontem in concione populi absolu- tum arripuit, & in vicum Martium pertraxit, parum de indi- gnatione populi sollicitus: ibiq; conuicit eum Philippo pro mississe naualium incendium: atque tum morte damnatus ille, capite pœnas luit. Theorida etiam sacerdotem accusa- uit, quod & ipsa crimen falsi s̄pē commisiſſeret, & seruos im- posturæ artem docuisset: effecitque ut ea damnata morte

*Orationes
eius.*

plesteretur. Aiunt etiam orationem contra Timotheum ducem, qua vsus Apollodorus cum reum peregit debitæ æ- rario pecuniæ, à Demosthene actori conscriptam fuisse. si- ut & in Phormionem & Stephanum: quam ob rem haud iniuria male audiuist. quippe & Phormio contra Appollo- dorum in iudicio contendens oratione à Demosthene scri- pta vsus est, veluti ex vna gladiorum officina aduersariis pu- giones, quibus dimicarent, vendente. De publicis autem re- bus orationes, quæ in Androtionem, Timocratem, & Ari- stocratem sunt aliis scriptæ sunt à Demosthene, nondum ad rem publ. aggresso. existimatur enim eas duos vel tres de

trigint-

triginta annos natus edidisse. Scriptam in Aristogitonem,
 ipse perorauit: sicut & eam quæ est de immunitatibus, pro-
 pter Ctesippum Chabriæ filium, ut ipse dicit: quidam Cte-
 sippi matrem ab eo ambitam dicunt. Non duxit quidem
 I eam, sed Samiā quandam in matrimonio habuit, ut in Syn-
 onymis Demetrius Magnes scribit. Oratio contra Aeschini-
 nem de falsa legatione recitatane sit necone, incertum est:
 quanquam Idomeneus troughta modo suffragiis absolu-
 tum vicesse Aeschinem dicat. rem non ita habere existimo,
 si licet coniecturis vti de vtriusque oratione de Corona
 sumptis: neuter enim aperte illius controvrsiæ tanquam
 in iudicium deductæ meminit. Verum hæc alijs dijudican-
 da sunt. Cæterum Demosthenis in tractanda repub. institu-
 tum durante etiamnum pace manifestum fuit, nihil eorum
 quæ à Philippo agerentur non reprehendentis, sed ad sin-
 gula Athenienses turbantis, & aduersus eum irritantis. Ita-
 que & Philippus plurimam eius habebat rationem: & cum Macedo-
 legatus nouem aliis adiunctis venisset in Macedoniam, o. *nas acta.*
 mnibus auditis, accuratissime Demostheni respondit. ho-
 nore autem & humanitate eum, quo cæteros, non eadem
 est prosecutus, Aeschinem & Philocratem magis amplexus.
 Quamobrem iis Philippum laudantibus, quod & facundis
 simus esset, & formosissimus, & optimus potator, inuidiæ
 succubens ad irridendas eas laudes se contulit. Nullam
 regiam laudem hic esse dicens, sed primum rhetoris, alte-
 rum mulieris, tertium spongiæ conuenire. Rebus iam ad
 bellum spectantibus, quod neque vti quiete Philippus nos-
 set, & Athenienses à Demosthene excitarentur: primum ad
 expeditionem in Eubœam faciendam ciues stimulauit,
 quam tyranni insulam Philippo subiugauerant: eoque tra-
 iiientes illi, lege à Demosthene lata, Macedonas eie-
 runt. Deinde Byzantiis Perinthiisq; bello à Macedonē in-
 festatis, populo persuasit ut omisla inimicitarum, & eorum
 quæ vtrique bello sociali aduersus Athenienses peccassent
 memoria, auxilium illis mitterent: atque id salutem istis
 vrbibus attulit. Præterea legatus Græciām obiēs, colloquē-
 do & instigando paucis exceptis omnies populos ad conspi-
 randum aduersus Philippum permouit: ita ut præter vrbana-
 nas copias conflaretur Atheniensibus exercitus, quindecim
 peditum, duobus equitum millibus constans, & stipen-
 dia ad

dia ad alendos stipendiarios milites prompte conferren-
 tur. cum quidem , vt autor est Theophrastus , sociis postu-
 lantibus ut tributum certo numero definiretur , Crobylus
 oratorum vnu dixit, Bellum non certo ali dimenso. Subla-
 tis exspectatione euentus Græcorum animis , & in foedus po-
 pulis vrbibusque coeuntibus, Eubœa, Achæis, Corinthiis,
 Megarenibus, Leucadiis, Corcyreis : maximum supererat
 Demostheni certamen, Thēbanos in id foedus pertrahen-
 di, qui & vicinam Atticæ regionem colebant , & copias ar-
 morum vsu nobiles habebant , & inter Græcos belli gloria
 principes erant. Neq; vero facile erat Thebanos recentibus
 bello Phocico beneficiis deuinctos , Philippo ad defectio-
 nem pertrahere: præsertim cum ob contiguos limites per-
 petuis controvërsiis bellicæ dissensiones Thebanorum &
 Atheniensium recrudescerent. Verum vt Philippus parta ad
 Amphisiam victoria elatus, subito in Elateam factò impe-
 tu Phocidem occupauit: perterritis Atheniensibus , ac ne-
 mine audente suggestum condescendere, omnibus hesistanti-
 bus atque tacentibus, neque quod dicerent habentibus, v-
 nus in medium progressus Demosthenes, consilium coeun-
 dæ cum Thebanis societatis dedit: confirmatisque & exci-
 tatis bona spe multitudinis animis : legatus Thebas cum
 nonnullis aliis missus est. Marsyas etiam Amyntam & Cle-
 archum Macedonas, tum Daochum , Thessalum & Thra-
 sydæum missos à Philippo , qui contra Demosthenem age.
 rent, affirmat. Non fallebant sane vtilitatis rationes Theba-
 nos, cum vnuquisq; ante oculos proposita belli mala ha-
 beret, recenti adhuc Phocicarum calamitatum memoria.
 Sed eloquentia (vt ait Theopompus) oratoris, animos eo-
 rum exuscitans, inflammansque honestæ laudis cupidita-
 tem , tenebras reliquis omnibus cogitationibus offudit,
 excussoq; animis metu, consilio & gratia quasi diuino quo-
 dam furore ad honestatis studium impulit. Id quidem De-
 mosthenis factum ita magnum atque splédidum est visum,
 vt & Philippus statim missis caduceatoribus pacem petie-
 rit, & vniuersa Græcia euentus exspectatione fuerit excita-
 ta: neque duces modo Demosthenis imperata fecerint, ei-
 que operam nauarint, sed & Bœotorum principes , neque
 Thebanorum minus, quam Atheniæ conciones ab eo
 rectæ sint, vtrisq; hominem diligētibus, eq; vno summam
 rerum

rerum obtinente, non (quod Theopompus ait) iniuste aut
præter quādignum esset, sed conuenienter admodum.
Verum enim uero fatum quoddam in conuersione rerum
ad id tempus finem libertati Græcorum statuens, videtur
§ consiliis eius aduersatum fuisse, multaque futuri signa edi-
disse. inter quæ & Pythia oracula cecinit horrenda, & anti-
qua vaticinatio Sibyllana hæc cantabatur.

*Gracorum
clades pre-
monstratae*

Thermodontaco procul à certamine in auras

O Etiam, Stq; Ionis per nubila subuehar ales:

10 *Tum lacrymas victi fundent, victore perempro.*

Thermonatem perhibent apud nos iuxta Chæroneam
riuum esse, qui in Cephisum effluat. Nos quidem nostra æ-
tate nullum riuum hoc nomine insignem cooperimus, e-
xistimamus autem eum, qui Hæmon dicitur, eo tempore
15 Thermonatem fuisse appellatum. Is fanum Herculis præ-
terfluit, quo loco castra Græci habuerunt: & coniicimus
post pugnam ei amni, sanguine cadaveribus oppleto, no-
men in Hæmona (hæma sanguis Græce vocatur) mutarum.
Duris non fluuium fuisse Thermonatem, sed quosdam
20 locum tabernaculo eriendo fodientes, paruam lapideam
statuam reperiisse tradit, literis quibusdam in scriptis decla-
rantem, quod esset Thermodō, in vlnis gestans vulneratam
Amazonem. Aliud porro referunt oraculum de eadem re
cantatum.

25 *Corue operire niger, dum Thermodontis ad Endas*
Funebria armata miscebunt prælia gentes:

Tunc multa humana carnis saturabere præda.

Verum hæc quomodo se habeant, iudicatu est difficile. De-
mosthenes quidem, ut memoria proditum est, armis Græ-
30 corum fretus, atq; ob robur & alacritatem tantæ virorum
multitudinis hostem prouocantis animo elatus, neque o-
racularis animum aduertere suos, neq; audire vatum respon-
sa passus est, & Pythiam cum Philippo colludere suspicio-
nem iniecit: simul & Thebanos Epaminondæ. & Periclis
35 Athenienses admonebat, qui hos timiditatis esse prætextus
iudicantes, sua potius consilia essent secuti. Atque hac te-
nus quidem virum se gessit. In pugna autem nullo hone-
sto, aut verbis suis consentiente facinore edito, turpissime
deserto ordine, & proiectis armis fugit, ne inscriptio-
nem quidem (ut ait Pytheas) scuti reueritus, in quo aureis
literis

*Demos the-
nis ad Cha-
roneam te-
miditas.*

litteris exaratū erat, Quod felix faustūq; sit. Philippus ait statim post partam victoriam immodico gaudio elatus, cebrius ad cadauerā veluti comesatum iuit, principiumq; legis Demosth. cecinit in pedes digestum, simul mensuram pulsu exprimens:

Demosthenes, Demosthenis ista filius

Pæanensis censuit. ---

Discussa vero crapula cum magnitudinem superati certaminis secum reputaret, horruit eloquentiam & vim oratoris, qui exigua diei particula id cōfeciisset, vt de regno ac vita discriben adire ipse coactus esset. Gloria quidē eius vſq; ad Persatum regem peruererat, isque satrapis per epistolas mandauit, vt pecunias Demostheni darent, eumq; de omnibus Græcis potissimum obseruarent: nimirū Græcis tumul tib. occupare & detinere à bello Persis inferendo Macedonem scientem. id quod postea temporis Alexander Sardib. cōperit, inuentis Demosthenis quibusdam epistolis, & literis regiorū ducum, quib. in literis numerus datæ Demostheni pecuniæ continebatur. Tum vero in ista Græciae calamitate oratores aduersarij Demostheni insultantes, dicas ei scribebant, rationesq; actorum postulabant. Sed populus non modo criminib. eum iis absoluīt, verū & constanter in honore habuit, & ad rem pub. vt beneuolum ac honeste suis cupientem ciuem reuocauit: ossibus etiam Cheronēa allatis, & terræ mandatis, funebrem ei laudationem defunctorum iniunxit: non (quod tragicē hoc loco adscribit Theopompus) turpiter aut abiecto animo ferens acceptam clamē, sed consiliarium suum & autorem rei actæ ornando honorandoq; ostendens, non se pœnitere consiliorum. Orationem quidem habuit Demosthenes, decretis autem nō suum, sed amicorum singula singulis subscriptis nomina, quasi genium fortunamq; suam abominans: donec animū recepit Philippo mortuo. Periit autem Philippus non diu post Cheronensem victoriam: quod videtur postremus oculi versus præmonstrasse:

Tum lachrymas Greci funderunt, viatore perempto.

Demosthenes cum de eius obitu occulē cognouisset, vt animos Atheniensium iniecta bona futurorum spe præoccuparet, lāto vultu in senatum prodiit, somnium se vidisse ferens, quod magnam aliquam populo felicitatem portende-

*Philippi
exitus.*

35

portenderet. Paulo post adfuere, qui Philippum vita excelsisse annuncianter. Ob tam latum nuncium statim sacrificatum a populo: & Pausanias, qui Philippum necauerat, corona decreta. Progressus est etiam in publicum Demosthenes splendide vestitus, ac coronatus, septimo a morte filia: *Mors filia suæ die.* quod Aeschines exprobrandi causa refert, inhumationem ei erga liberos obiciens: mollis ipse & de genere a-nus. *Demosthenes* nimis si luctum & eiulatus mansueti animi & suorum amatis signa censuit, moderate autem & aequo animo casus humanusmodi ferre, in vitio posuit. Evidem Atheniensibus decorum fuisse, ob mortem regis qui tam clementem vicitur se eis praebuerat coronas ferre, addit etiam sacrificare, nequamquam affirmo: nam præterquam quod inuidiosum hoc est, indignum etiam ingenuis hominibus erat, quem viuentem honoribus affecissent, ac ciuitate donassent, ob eius mortem immoderato exultare gaudio, defunctoq; insultare, & quasi rem ipsi bene geffissent, triumphum canere. Quod autem domesticam calamitatem deflendam mulieribus reliquit Demosthenes, ipse ea que è repub. esse crederet agendam suscipiens, id laudo, profectumque a forti animo, ciuilique iudicio, cuius officium est semper reipub. intentum esse, eique res casusque domesticos postponere, semperque dignitatem suam tueri, multo magis quam in scenis histriones faciunt regis aut tyranni personam agentes: quos ipsos videmus non ut ipsi libitum est vel ridere vel plorare, sed ut ratio propositi ad agendum argumenti requirit. Iam si contra officium est, item aliquem infortunio negligere, patique ut is omnis expers consolationis mero re le suo conficiat: sed & leuandus verbis eius dolor est, & abducendum ad rerum latiorum cogitationem animus: (quomodo ex oculis laborantes a contituunt rerum splendorum, suorum fulgore eos ferientium deflectere aspectum in virides & molles colores iubemus) quod tandem patriæ lugenti melius consolandi genus adhibeat aliquis, quam si domesticas calamitates cum publicis temperans, melioribus deteriora obscuret? Atque haec ut dicerem, Aeschinis me impulit oratio, qua video multos frangit, & ad commiserationem emolliit. Ceterum ciuitates, rursum eas Demosthenem inflammante, fœdus renouarunt. Ac Thebani quidem, armis a Demosthenem instructi, praesidium Macedonum ad-

orti sunt, multosque interfecerunt. Athenienses autem se, tanquam auxilium eis laturi, bello parabant, regnumque suum in concionibus Demosthenes obtinens, ad regis in Asia duces scribebat, eos ad bellum Alexandro (quem puerum, & Margiten nominabat) faciendum instigans. Sed vbi rebus Macedoniae compositis Alexander cum exercitu in Boeotiam venit, simul & Atheniensium ferocia concidit, & ardor Demosthenis refrixit. Thebani autem ab his proditi, cum suo Marte cum Alexandro conflixissent, urbem amiserunt. Magna apud Athenienses coorta trepidatione, missus cum nonnullis aliis legatis ad Alexandrum Demosthenes, iram regis metuens, à Citharone omessa legatione retrò abiit. Statim verò Alexander Athenas misit, qui decem sibi oratores dedi iuberent. Hunc numerum Idomeenus & Duris habent: pleriq; & probatissimi scriptores o-
&to tantum numerant, hos nimirum, Demosthenem, Poly-
euctum, Ephialtem, Lycurgum, Myroclem, Damonem,
Callisthenem, Charidemum. Cùm quidem fabulam de o-
uibus canes lupis dederintibus referens Demosthenes, se &
reliquos oratores canibus pro populo propugnantibus cō-
parauit, Alexandrum autem Macedonem lupum solita-
rium appellauit. Addidit etiam hoc, Quemadmodum vi-
demus mercatores in patella specimen tritici circumferen-
tes, paucis granis vniuersum vendere: sic vos non intelli-
gitis paucis nobis dedendis vos omnes dedere. Hæc ita nar-
rat Aristobulus Casandrinus. Consultantibus Athenien-
sibus, & hæsitantibus, Demades ab iis qui ad dedendum
postulabantur acceptis quinque talentis pactus est se lega-
tum ad regem iturum, pro eisque deprecaturum: siue ami-
citia regis fretus, siue sperans se eum veluti leonem cædis-
siam saturum reperturum. & quidem impetravit veniam il-
lis, vrbiq; regem reconciliauit. Digresso in Asiam Alexan-
dro, floruere oratores aduersarij, Demosthenes iacuit: Agi-
de Spartano ad nouas res consurgente, ipse quoque nonni-
hil excitatus, mox submisit se, cum neque Athenienses una
se commouissent, & Agis cecidisset, Lacedæmoniorumque
res attritæ essent. Per idem tempus actio de corona aduer-
sus Ctesiphontem in iudicium deducta est, scripta quidem
Judicium Chæronda prætore, paulo ante Chærondensem cladem,
de Corona, prætore autem Aristophonte, decennio post quam scripta
fuit,

suit, diiudicata. Nulla vñquam publica causa nobilior fuit, cum ob oratorum gloriam, tum ob iudicium integritatem, qui Demosthenem exagitantibus potentissimiis tum, & a Macedone pendentibus nequaquam suffragia ad damnandum Demosthenem gratificati sunt, sed eum ita gloriose absolverunt, vt ne quintam quidem suffragiorum partem Aeschines tulerit. Et Aeschines quidem statim Athenis discessit, attemque rhetorica docendo Rhedi & in Ionia ætatem exegit. Paulo post Harpalus ab Alexandro ^{Harpalus} _{corruptio-} ^{la.} profugus ex Asia Athenas venit, cum & sibi ob luxuriam male esset conscius, & illum iam amicis grauem metueret.

Cum ergo ad populum configisset, seq; vñ cum opibus & nauibus suis ei dederet, reliqui oratores statim pecunia eius inhiantes, patrocinari homini, ciuesque hortari, vt acciperent seruarentq; supplicem. At Demosthenes primùm suadere, vt repellerent Harpalum, cauerentque ne non necessaria iniusta; de causa urbem in bellum cōiicerent. Paucis post diebus cum opes Harpalii inspicerentur, isq; Demosthenem animaduerteret regio poculo delectari, eiusq; cæsiaturam & formam contemplari, iussit tollere, & auri pondus estimare: miranti grauitatem, & sciscitanti quantum pondus ferret, Tibi, inquit, viginti feret talenta, statimque facta nocte poculum id cum viginti talentis Demostheni misit. Callebat nimirum Harpalus artem, auri amorem in homine latentē ex vultu deprehendendi, ingeniumq; ex oculorum motu & conuersationibus cognoscendi. Viatus enim eo munere Demosthenes, perculsusq; perinde ac si presidium sibi esset impositum, Harpalii partibus se adiunxit. Postridie collo lana & fasciis accurate inuoluto in concionem prodiit: iussusq; ad dicendum surgere, vocem sibi intercidisse innuit. Urbaniores autem homines cauillabantur, non angina, sed argentangina noctu correptum oratores dicentes. Post cum vniuersus populus de acceptis ab eo donis resciuisset, eique defendere se conanti audientiam non faceret, sed iratus obstreperet, surgens quidam his verbis eum pupigit: Non audietis ergo, viri Athenienses, eum qui calicem habet? Tunc igitur Harpalus Athenis amandatus est. Metuentes autem ciues, ne ratio pecuniarum ab oratoribus direptarum ab ipsis reposceretur, acrem instituerunt inquisitionem earum, singulas domos perscrutando.

tando. Solius Calliclis Arthenidæ domus ab ea inquisitio-
ne immannis fuit, quod is recens peractis nuptiis sponsam
intus habebat: autor Theopompus. Demosthenes autem huic
se opponens rei, legem tulit, ut de ista pecunia Areopagitæ
quaestionem instituerent, & qui ab iis damnarentur, ij pœ-
nas darent. Ceterum inter primos ipse ab eo senatu damna-
tus venit in iudicium: ibi ei quinquaginta talentorum mul-

*Exiliū De- cta constituta, inq; carcerem datus est. Quem cum (ut per-
mōsthenis. hibent) ob turpitudinem causæ, & imbecillitatem corporis
non ferret, deceptis partim, partim etiam latendi facultatē 10
præbentibus custodibus aufugit. Cum haud procul ab urbe
processisset, sensit quosdam inimicos suos ciues se insequiri:
& cum abscondere se vellet, nominatim eum illi inuocan-
tes, propiusq; accedentes, orauerunt ut viatica à se, quæ at-
tulissent secum, ipsumq; propterea insecuri essent, accipe- 15
ret: simul & hortati sunt, ut bono animo esset, easumq; suū
moderate ferret. Tum illa crymans ille vehementius: Ego
vero (dixisse fertur) non grauiter doleam cogi me ea exce-
dere urbe, in qua tales habeo inimicos, quales amicos alibi
haud facile inuenero. Tullit sane exilium illud patrum virili- 20*

Mollisces. ter, Aeginæ & Træzene plerumq; desidens, oculosq; lacry-
mis oppletos in Atticam identidem intendens. Et memo-
rantur etiam voces eius parum decoræ, nihilque iis quæ in
repub. iactauerat consentientes. Ex urbe enim discedens,
manibus aduersus arcem porrectis dixisse traditur: ô Mi- 25
nerua Dea urbis tutelaris, ut tandem tribus pessimis gaudes
bellis: v'lula, draconem, & populo. Adolescentes etiam qui
ad se conueniebant, & consuetudine ipsius uteretur, à re-
publica dehortabatur, dicens, se, si ab initio duæ propositæ
fuissent viæ, altera ad suggestum & concessionem, altera ad 30
certum exitium ducens, ac si præsciuisser mala quæ in repu-
versantibus incumbunt, terrors, inuidias, calumnias, con-
tentiones: utiq; eam ingressurum fuisse, qua rectâ ad inter-
itum issit. Enim uero adhuc eo in exilio degente, Alexander
obiit, rursusq; Græcae res coalescere coeperunt, Leosthene 35
præclara facinora edente, & Antipatrum Lamiæ cōclusum
munitionibus circumueniente. Ac Pytheas quidem orator
& Callimedon cognomento Carabus Athenis profugiad
Antipatrū se contulerant, cumq; eius amicis & legatis circu-
euntes Græcos à defectione, & adiungendis ad Athenien-
sium

sum ciuitatem rebus dehortabantur. Demosthenes autem Atheniensibus se legatis addens socium, opem ei tulit in cōmouendis ciuitatibus, ut vna Macedones adorāt Græcia eos eiicerent. Philarchus narrat in Arcadia Pytheam & De-
 mosthenem in concione conuitia mutuo fecisse, altero Ma-
 cedonum, altero Græcorum causam agente. Et Pytheam quidem dixisse, quemadmodum crederetur domus in quā lac asinum infertur, omnino aliquo malo laborare: ita
 urbem quoq; necessariò vitiosam esse, in quam Atheniensis
 legatio adueniret. eam similitudinem ita à Demosthene in-
 uersam, vt & lac asinum sanitatis restituendæ causa im-
 portari solere, & Athenienses propter salutem male haben-
 tium venire consueuisse diceret. His delectatus Athenien-
 sis populus, redditum Demostheni decernit. Legem Damon
 Paaniensis tulit, confobrinus Demosthenis. Missa est quæ Reditus.
 accenseret eum tritemis Æginam. Ex Piræo in urbem ad-
 scendit, omnibus & magistratibus & sacerdotibus præsen-
 tibus, vniuersis etiam reliquis ciuiibus obuiam euntibus, &
 magno studio excipientibus. Tum quidem Demetrius Ma-
 gnes scribit eum sublatis manibus sese beatum eius dici
 causa prædicasse, quod reditus sibi quam Alcibiadi præcla-
 rior obtigisset: non enim coactis se, sed persuasis ciuiibus re-
 dire. Multa autem pecunaria, quæ ei irrogata fuerat, ma-
 nente, (non enim licebat eam condonare) legem huiusmo-
 di commento eluserunt. Cùm more antiquo solerent quo-
 ties Ioui Seruatori sacrificaretur, iis qui altare adornarent,
 debitoq; apparatu instruerent, pecuniam persoluere, De-
 mostheni eius rei administrationem quinquaginta talentis
 (quæ erat mulcta summa) locauerunt. Neq; tamen reuerlo
 ei patria diu frui concessum fuit: sed continuo Græcorum
 rebus perditis, Metagitnione mense ad Cranonem pugna-
 tum est, Boedromione præsidium Munychiæ impositum,
 Pyanepstone interiit Demosthenes. Id sic accidit. Cùm An-
 tipatrum & Craterum annunciatum esset adducere ad A-
 thenas exercitum, Demosthenes, & qui eiusdem erant fa-
 ctionis, mature se ex urbe subduxerunt. Iis diversa in loca
 dilapsis, Antipatrus circumiit qui eos caperent, principe
 inquisitorum Archia, eo qui fugitiuorum indagator, Phy-
 gadotheras Græcis, cognominatus fuit. Hunc Thurium
 natione, aliquando histriōnem fuisse tragicum perhibent,

Fuga ex Gr
be post-
rior.

& Polum Eginetam, qui eo artificio neminem habuit p̄-
zem, huius discipulum fuisse. Hermippus Archiam inter
Laeriti oratoris discipulos numerat. Demetrius Anaxime-
nus auditem fuisse tradit. Is igitur Archias, Hyperidem
rhetorem, & Aistonicum Marathonium, & Demetrij Pha-
leci fratrem Himeraeum Eginæ ex templo Aiakis, quod cō-
fugerant, abreptos, ad Antipatrum Cleonas misit: atq; ibi
necati sunt. Hyperidis etiam linguam exactam ferunt. De-
mosthenem verò cùm audiisset supplicem in fano Neptu-
ni in Calauria insula sedere, eò nauigiis auctariis vñà cum 10
Thracibus stipatoribus traiecit: suasiq; ei, vt digressus à fa-
no secum ad Antipatrum iret, promittens nihil eum mali
passurum. Demosthenes autem ea forte nocte per somnum
imaginatus erat se cum Archia contendere tragœdia agē-
da: cumq; sibi præclare succederet res, spectatoribusq; pro-
baretur omnibus, penuria apparatus & sumptuum vinci.
Itaque Archia multa blande dicente, oculos in eum coni-
ciens, vt tum forte ipse assederat, O Archia, inquit, neq; an-
te personatus, neq; nunc promissis me mouebis. Archia au-
tem irato, & minitari incipiente, Nunc, ait, ex Macedoni-
eo tripode loqueris, haçtenus simulabas. sed expecta parū,
dum meis noui nihil mandem. Hæc locutus intra templum
se recepit, sumptoq; libello, tanquam si scripturus esset, ca-
lamum ori admouit, quod facere inter cogitandum scribē-
dumq; solebat, & sic aliquandiu moratus, caput deinde ob-
uclatum demisit. Cum stipatores, qui foribus adstabāt, de-
riderent eum vt timidum, mollemq; & effeminatum voca-
rent: Archias autem accedens vt surgeret hortaretur, repe-
tensq; priorem sermonem, iterum se eum cum Antipatru
in gratiam repositurum polliceretur: sentiens iam venenū 30
vim suam in corpus exercere, rerecto capite Archiam intui-
tus, Num inam, inquit, statim tragicum Creōtem ages, cor-
pusq; meum inhumatum proicias? ego quidem, mi Neptu-
ne, viuus adhuc tuo fano exco: Antipatro & Macedonibus
ne ædes quidem tua inuolata relicta est. Hæc fatus, cum se 35
iam trementem & titubantem excipi iussisset, progrediens,
dum præter altare transiret, concidit, editoq; gemitu expi-
ravit. Venenum eum ex calamo haufisse, vt diximus, Aristó
narrat. Pappus autem quidam, cuius historiam Hermippus
repetiit, tradit eo apud aram collapo, in libello epistolæ
scri-

scriptum initium inuentum, Demosthenes Antipatro. neq;
præterea ullum verbum. Celeritatem verò mortis admirantibus,
Thraces qui foribus adstiterant narrasse, venenum
eum ex quodam panniculo in manum sumisse, atq; ita ad-
motum ori deglutuisse. se putasse aurum esse id, quod deglu-
tiret: ancillam verò, quæ ipsi ministrabat, interroganti Ar-
chias respondisse, multo iam tempore Demosthenem hoc
alligatum vestimento amuleti loco circumulisse. Erato-
sthenes ipse quoq; in armilla caua, quæ brachium clauden-
10 ret, gestatum ab eo venenum ait. Reliquorum, qui ea de re
scriperunt permulti, dissensiones referre nihil attinet: vnū
commemorabo, Demachorim Demosthenis necessarium
referre, existimare se eum non veneno, sed Dēum clementia
& prouidentia celeri & leni morte crudelitati Macedonum
15 subtractum. Mortuus est die mensis Pyanepsonis XVI.
quam diem Thesmophoriorum mulieres tristissimam agē-
tes Cereris in honorem cibo omni abstinent. Neq; multo
post populus Atheniensis Demostheni dignos reddidit ho-
nores, æra posita statua, factoque decreto, vt qui ex stir-
20 pe eius natu esset maximus, publice in Pitanco alere-
tur. Basi etiam statuae eius tritum illud adscriptum est epi-
gramma,

Sit ubi vis animo, Demosthenes, aqua fuisse,

Non Macedum ferret Grata vita ingum.

25 Nimis inerti sunt, qui hoc ab ipso Demosthene in Calau-
ria venenum sumptuo compositum nugantur. Paulo ante,
quam nos Athenas venimus, tale quiddam euensis fe-
runt. Miles quidam ad dicendam causam à duce vocatus,
quidquid habebat auri in digitos Demosthenis statuae (nā
30 consertis inter se digitis facta erat) reposuit. Iuxta fuit haud
magna platanus: huius folia siue sponte ea deciderint, ac
fortuito casu, siue ipse miles ibi humi sumpta aggesserit,
haud paruo tempore aurum occultauerunt. quod vbi re-
uersus è miles saluum inuenit, eiusque rei rumor dissipar-
35 tus est, multi eorum, qui ingenio valebant, eo argumento
vsi ad Demosthenis in repudiandis muneribus continen-
tiā laudandam, carminibus scribendis inter se decer-
tauerunt. Demadē verò, cum is non diuturnum sane
nascentis suæ gloriæ fructum sensisset, fatum Demosthe- *Demadis*
nis necem vlciscens in Macedoniam pertraxit: ibi ab his, *interitus*,

quos adulatus turpiter fuerat, iusta morte affectus perierit, cum & ante molestus iis esset, & tunc criminis, quod nulla excusatione dilui posset, conuinceretur. Interceptæ enim fuerunt literæ eius quibus hortabatur Perdiccam, ut Macedonia inuaderet, & Græcos setuarer, à putri & vetusto filio (sic Antipatrum appellabat) pendentes. Propter hoc Dinarcho Corinthio accusante eum irritatus Casander, filium eius in sinu patris iugulauit, atq; ipsum tandem etiam necari iussit: experientem tum summa in calamitate, proditores primos omnium seipso vendere. quod sæpe prædicens 10 Demostheni fidem non habuerat. Habet, Sossi, Demosthenis vitam ex iis quæ vellectione vel auditione acceperimus conscriptam.

IN DEMOSTHENEM AB INTER- 15 PRETE ANNOTATA.

Philippi & Alexandri Magni etate vixisse Demosthenem Atheniensem oratorem, neq; multo post huius obitum tempore perijisse, res est non obscura.

Prouerbum. 1 Delphini in tellure vis.) Posterior est pars senarij versus. Continet autem proverbum. Nam delphinus piscis est præualidus, & qui in mari plurimum poscit: in terra nihil valet. Ita, inquit Plutarchus, se fortassis haud parum in rebus Ciceronis & Demosthenis gestis posse iudicandis: de 25 facundia autem minime valere iudicio, cuius rei causas attulit. Possimus vti hoc versiculo, quoties rem nobis inaudita ea ratione recusamus, quod ad eam per agendam vires nobis aut peritia defit: aut ea à natura nostra, vel instituto sit aliena. Non abudit ab adagione apud Liuium, relato, 30 Cantherium in fossa.

καλοὶ καὶ γενθανοῖ. 2 De optimatibus fuit ciuibus.) τῶν καλῶν καὶ γενθανοῖ. καλοὶ γένθανοι ciues apud Athenienses erant ij, quales Romani vocant optimates, à plebe sciuncti, & in repub. priores. Sic sæpe Thucydides, sæpe Plutarchus, præsertim in Pe-